

nem impossibilem non videntur, sed haec habeatur pro non adjecta, caret controversia. Et quidem de matrimonio jam dictum est ex c. fin. h. t. De ultimis voluntatibus autem constat ex § *Impossibilis. Instit. de Hæred. instit.* ibi : « *Impossibilis conditio in institutionibus, et legatis, necnon in fideicommissis et libertatibus pro non scripta habetur, cum concordantiis, et jam dictum est supra.* »

57. *Turpis conditio de futuro repugnans substantiae matrimonii apposita sponsalibus, illa annullat.* — Resp. II. Si sponsalibus adjiciatur turpis conditio de futuro, repugnans substantiae matrimonii, vitiantur et nulla sunt; doctor Seraphicus in 4, dist. 28, q. 3, n. 43. D. Thomas, ibid., dist. 27, q. 2, a. 1, cum communi aliorum, arg. c. fin., h. t., licet enim de solo matrimonio loquatur, tamen quia ratio dispositionibus de his conditionibus etiam in sponsalibus urget, ad hæc quoque extendi debet, arg. I. *Oratio. 16, de Sponsal.* Quanam autem sint conditions repugnantes substantiae matrimonii, vide supra num. 48.

58. *Secus est, si substantiae matrimonii non repugnat.* — Resp. III. Si sponsalibus adjicitur turpis, aut inhonesta conditio de futuro substantiae matrimonii non repugnans, v. g. « *Ducam te, si mecum fornicaris, vel si fidem catholicam derelinquis, vel si illud furtum facies, vel si hanc occidas, etc.* » non habetur pro non adjecta, sed attenditur, ita ut licet ante impletam talem conditionem sponsalia non obligent, tamen postquam impleta est talis conditio, sponsalia valent, et obligant æque ac si honesta conditio de futuro adjecta, ac impleta esset. Pontius, l. II, *de Matrim.*, q. 10, sect. 5; Palao, *de Sponsal.*, disp. 4, pun. 16, n. 4; Ledesma, *de Matrim.*, q. 47, a. 5 ad finem, Perez, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 3, n. 4, ubi citat communem contra Sanchez, lib. V, disp. 17, num. 2, qui pro se citat concordem omnium. Ratio est, quia reliqui contractus sub turpi conditione de futuro adimpleta conditio, ut diximus, valent et obligant, ut fatentur omnes, arg. lib. XI, § 1, ff. *Qui potiores pignor.*, ergo etiam sponsalia, utpote specialiter non excepta.

59. *Solvitur instantia.* — Non obstat c. fin., h. t., ubi conditions matrimonio apposite habentur pro non adjectis. Respondetur enim illam specialem de matrimonio factam dispositionem juris non extendi ad sponsalia, per dicta supra n. 53 et seqq.

60. *Turpis conditio de praesenti aut preterito apposita sponsalibus, quid faciat?* — Resp. IV. Si sponsalibus adjicitur turpis conditio de praesenti aut preterito, eundem effectum habet, quem in matrimonio, juxta dicta supra n. 43, ob eadem rationis et juris fundamenta.

61. *Modus, causa, et demonstratio quid?* *Matrimonium vel sponsalia sub causa, aut demonstratione etiam falsa, inita valent.* — Quæritur III. Quid juris de sponsalibus et matrimonio sub modo? sub causa? et cum demonstratione? Agunt doctores plerumque hic etiam de his, quia conditionibus valde affines sunt. Quid autem sit modus, causa, et demonstratio, et quo modo contractus vel actus aliquis fieri possit sub modo vel sub causa, vel cum demonstratione habes, lib. III, tit. XXVI, a. n. 636, ubi vide, ne superflua fiat repetitio. Hoc presupposito. Resp. I, sponsalia et matrimonium, aliisque contractus celebrati sub causa, vel cum demonstratione, sive possibili, sive impossibili, sive turpi, sive honesta, sive substantiae matrimonii contraria sive non, nec suspendunt, nec vitiant contractum, etsi contingat error, nisi hic versetur circa personam v. g. si quis ita dicit: « *Contraho, vel contraham tecum, quia es dives, vel quia es nobilis, vel quia es virgo, vel quia es virtuosa, vel quia es omnipotens, vel quia es hæretica, vel quia generationem prolis evitabis, vel quia mecum fornicata es, etc.* (quæ sunt meræ causæ) *vel, quia es talis, virgo, dives, etc.* (quæ est demonstratio) valent sponsalia et matrimonium etsi talis dives, aut virgo, aut nobilis, etc.) non esset. Sanchez, lib. V, disp. 19, n. 2; Palao, *de Sponsal.*, disp. 2, pun. 11, § 5, n. 2; Pirhing, h. t., n. 29; Engel, h. t., n. 20, cum communi aliorum. Ratio est, quia causæ et demonstrationes etiam falsæ non obsunt contractui, nec vitiant illum, sed habentur pro non adjectis, arg. I. *Falsa*, 33, et l. *Cum tale*, 72, § 6, *de Condition. et Demonst.* juncto § *Longe*. 31. *Institution. de Legat.*

62. Nec refert, etsi quis non contraxisset, si errorem scivisset; quia error circa qualitatem non vitiat sponsalia aut matrimonium per dicta tit. I, n. 345, bene tamen circa personam, juxta dicta ibid., arg. I. *Quoties. 9, ff. de Hæred. instit.* ubi ratio additur illis verbis: « *Quoniam voluntate deficitur.* »

63. *Quid juris de sponsalibus aut matrimonio sub modo?* — Resp. II. Modus sive possibilis,

sive impossibilis, sive turpis, sive honestus sponsalia aut matrimonium, aliosque contractus nec suspendit, nec vitiat, sed, si modus turpis aut impossibilis est, habetur pro non adjecto; si vero possibilis et honestus est, parit obligationem exequendi id, quod per modum oneris fuit adjectum: v. g. si quis dicit: « *Contraho, vel contraham tecum, ut digitio cœlum tangas, vel ut me adjubes ad illum occidendum, aut illud furandum, etc.* » valet matrimonium, aut sponsalia, et conditio habetur pro non adjecta, nec parit ullam obligationem illam adimplendi: si quis vero ita dicat: « *Contraho, vel contraham tecum, ita tamen, ut illos pupilos educes, tantam dotem offeras, mecum ad illum locum pergas, etc.* » valet quidem statim actus, ita tamen, ut aliter obligatus maneat ad modum, seu onus adjectum exequendum, Sanchez, lib. V, disp. 49; Pirhing, h. t., n. 32; Sylvester, §. *Matrimonium*, 3, q. 12, cum communi aliorum dicentium, quod hi modi non suspendant contractum. Ratio est, quia in actu sub modo consensus non præstatur a modo, sicut fit in conditione, sed illum præcedit, in quo differt a conditione. Nam natura modi est, ut non suspendat actum. I. *Cum ab eo, 41. ff. de Contrah. empt.*

Quod autem modus turpis aut impossibilis non vitiet actum, sed habeatur pro non adjecto, patet tum ex dictis supra de hujusmodi conditionibus, tum ex dicendis infra num. seq., et amplius docet Molina, *de Justitia et jure*, disp. 208, n. 11, quod vero modus honestus sui obligationem pariat, clare patet ex l. I, C. *de Donat. sub modo.*

64. *Modus etiam substantiae matrimonii repugnans, non vitiat illud.* — Resp. III. Non vitiantur, sed valent sponsalia, et matrimonium etiam sub modo substantiae matrimonii contrario contracta, Palao, *de Sponsal.*, disp. 2, pun. 11, § 5, n. 3; Ledesma, cit., q. 47, a. 5, dub. 3; Perez, disp. 16, sect. 15, n. 14, contra Sanchez, loc. cit., num. 5; Pirhing, loc. cit., n. 30. Ratio est, quia universaliter loquendo, nullus modus suspendit actum, nec consensus dependenter a modo præstatur, sed jam perfectum supponit, eique advenit cit. I. *Cum ab eo, ff. de Contrah. empt.* at si valide jam est contractus, per talem non amplius vitari potest: ergo.

Nec objicias cum Sanchez, loc. cit., c. fin., h. t., ubi expresse habetur, quod conditions substantiae matrimonii contrariae vitient

illud. Resp. enim, quod, cum illud c. fin., h. t., expresse loquatur de solis conditionibus, ad modos extendi non queat, ne modus et conditio confundantur.

TITULUS VI.

Qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.

1. *Ratio continuationis.* — Absoluta materia de sponsalibus et matrimonio pure et conditione initis, explicatisque nonnullis impedimentis præsertim publicæ honestatis, ac clandestinitatis, pergit compilator ad reliqua impedimenta matrimonii examinanda, et quidem in præsenti titulo de duobus dirimentibus agit, ordine nempe sacro, et voto castitatis solemini, ac impediente, voto nempe simplici.

2. *Ordines sacri dirimunt matrimonium contrahendum.* — Quæritur I. An? quando? respectu quorum? et quo modo matrimonium dirimat ordo: Resp. I. Quod ordines sacri sint impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, et consequenter, quod clerici in ordinibus sacris constituti matrimonium nec licite nec valide contrahere possint, certum est ac de fide. Omnes. Patetque ex concilio Tridentino, sess. 24, *de Sacramento matrimonii*, can. 9, ibi: « *Si quis dixerit, clericos in sacriss ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, etc. Anathema sit.* » Concordant can. *Presbyteris*, 8, dist. 27, ibi: « *Presbyteris, diaconis, et subdiaconis, etc.* » item can. *Presbyterum*, 16, dist. 28, cap. I, *de Clericis conjug.*, c. I et II, h. t., et alibi passim rationem sanctissimarum harum ecclesiæ legum clericos reddentium inhabiles, vide lib. III, tit. III, *de Clericis conjug.*, a. n. 3.

3. *Non item ordines minores.* — Dicitur autem notanter in conclusione ordines sacri; quia ordines minores nec impediunt, nec dirimunt matrimonium, uti jam diximus lib. III, tit. III, n. 4, quamvis clerici in minoribus constituti beneficium perdant, si nubant, ut ibid., n. 9, diximus.

4. *Etiam Græci in majoribus constituti non*

possunt matrimonium contrahere, bene tamen illo antea contracto uti possunt. — Non obstat mos Græcorum, qui etiam in majoribus constituti uxores habent. Respondetur enim, quod Græci quoque in majoribus constituti nec valide, nec licite matrimonium inire queant; quamvis eodem antea contracto, postea in majoribus constituti, licite uti potuerint, prout post Azorium, p. 1, lib. XIII, cap. XII, q. 5, ex ipso Græcorum usu ac moribus probat Sanchez, lib. VII, disp. 28, n. 3, arg. c. *Cum olim de clericis conjug. can. Si quis eorum, dist. 32*, cum concordantiis; prout etiam jam diximus cit. lib. III, tit. III, n. 8, ut proin tota differentia inter clericos latinos et græcos consistat in hoc, quod clerici græci post contractum matrimonium possint suscipere ordines sacros, et in his constituti cum uxore, quam prius duxerant, conjugaliter vivere, quod tamen non possunt clerici latini, exceptis certis casibus, de quibus vide lib. III, tit. XXXII, *de Convers. conjugat.*

5. *Pueri ante usum rationis ordinati, possunt postea nubere.* — Limitatur tamen conclusio I. In pueris carentibus usu rationis; quamvis enim hi valide ordinari valeant, arg. c. un. *de Clerico per saltum*, tamen non tenentur ad continentiam, sed possunt valide ac licite matrimonium contrahere, nisi ad usum rationis venientes, ordinationem, et votum expresse vel tacite ratificant, libere exercendo v. g. actum aliquem ordini suscepto proprium, Abbas, in cit. c. un. *de Clerico per saltum*, n. 3, et ibi Joan. Andreas, n. 5; Barbosa, n. 7; Sanchez, lib. VII, disp. 30, n. 5, cum communi. Ratio est, quia hi non sunt inhabiles ad matrimonium ratione ordines sacri, utpote quod stare potest cum illo, per jura num. præced. allegata pro Græcis. Nec ratione voti annexi; cum ex defectu liberi consensus ad illud non teneantur.

6. *Quod aliqui etiam de ordinatis ante pubertatem volunt.* — Præcedentem limitationem aliqui extendunt etiam ad ordinatos post usum rationis ante pubertatem, anno v. g. decimo, aut duodecimo, Sanchez, loc. cit., n. 8; Abbas, et Joan. Andreas, loc. cit.; Barbosa, *de Offic. et potest. episc. Allegat.*, 15, n. 4, arg. c. *Ad nostram de regul.* ubi votum professionis ante annos pubertatis emissum, declaratur irritum, et concil. Trident., sess. 52, cap. xv, *de Regular.*, ubi idem votum ante annos 16, completos dici-

tur nullum; quod idem dicendum existimat de voto ordinibus annexo; cum et ipsum sit soleme c. un. *de Voto*, 6, ibi: « Votum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri. »

7. *Contrarium tamen probabilius est.* — Palao e contra *de Sacramento ordinis*, disp. un., pun. 47, n. 10; Bonacina, *de Matrim.*, q. 3, pun. 9, n. 16; Coninck, disp. 20, dub. 14, n. 136, et alii cum Glossa, in can. *Pueri*, can. 1, q. 1, ¶ *Ad sacros*, probabilius docent, tales ad votum teneri, et ad matrimonium esse inhabiles. Ratio est, quia jure naturali ad valide vovendum sufficit usus rationis, et jure positivo nullibi irritatur tale votum: ergo.

Nec in contrarium probant jura n. 6, allegata. Tum quia de professione religiosa specialis adest dispositio juris; tum quia non est paritas inter professionem religiosam, et ordinem sacram; cum illa longe sit difficultior isto, et propterea ad illam valide emitendam jura majorem ætatem merito exigant. Et certe, si adversarii paritatem horum votorum manuteneret velint, concedere contra se ipsos debent, quod etiam ille non tenetur ad continentiam, sed nubere adhuc possit, qui post pubertatem anno decimo quinto ordinatus fuit; cum hujus professio religiosa jure novo sit nulla utpote ante annum 16, edita, concil. Trident., loc. cit.

8. *Vi ordinati non tenentur ad continentiam, sed possunt nubere.* — Limitatur conclusio n. 2, data, II, in iis, qui contra propriam voluntatem vi ordinantur. Ita omnes teste Sanchez, lib. VII, disp. 29, n. 1. Ratio patet, quia, cum tales invalide ordinantur, nec characterem accipiant, textu claro c. *Majores*, 3, § *Item queritur de baptismo*, utique horum ordo non parit impedimentum: nam « non Entis non sunt qualitates, nec effectus. »

9. *Sicut etiam gravi metu incusso ordinati.* — Limitatur III. In illis, qui gravi metu injuste incusso ordines maiores quasi coacti suscepserunt, Sanchez, lib. VII, disp. 29, n. 5; Barbosa, *de Offic. et potest. allegat.* 15, n. 5; Zoesius, *De his, que vi, metusque causa*, n. 7; Pirhing, h. t., n. 2 et alii satis communiter cum Glossa, in c. *Majores*. § fin. *de Baptismo*, ¶ *Conditionaliter*, contra Palao, *de Sacram. ordin.*, disp. un., pun. 17, et Pontium, lib. II, cap. xxix, n. 4, et plures alios. Ratio est, quia impedimentum ordinis tantum consurgit ratione voti ordinibus majoribus annexi perdicenda infra n. 15. Atq[ue]

votum non valet nec obligat in iis, qui gravi metu injuste incusso ordinantur, cum universaliter nullum votum etiam expressum, nedum tacitum, ex gravi metu injuste incusso valeat, prout jam diximus lib. I, tit. XL, n. 58, arg. c. I et C. *Cum dilectus*, 6. *De his, que vi metusque causa*, quia oportet, ut liberum sit arbitrium in vovendo c. *Licet*, 6. *de voto*. siquidem « voluntarium sibi militem eligit Christus, can. *Non est*, cau. 15, q. 1. »

10. *Confirmatur.* — Confirmatur: In iis, quæ gravi metu fiunt, jus universaliter ita statuit, quod illa, quæ ope judicis ordinarii facile reparari, ac per dissolutionem in pristinum statum restitu non possunt, pro nullis ac irritis ipso facto habeat, prout patet in matrimonio c. *Veniens. de sponsal. et matrim.* Item in solemni professione, c. 1. *De his que vi, metusque causa.* Item in sponsalibus per dicta lib. I, tit. XL, a. n. 47. Atqui continentia ordinis sacro annexa, si semel est valida, ope judicis ordinarii tolli non amplius potest: ergo.

11. *Solvitur instantia.* Coacta voluntas est voluntas: quando verificetur? — Dices cum adversariis: Ipse ordo ex gravi timore susceptus valet juxta omnes: ergo etiam votum ei annexum: Nam « Accessorium naturam sequi convenit principalis, n. c. *Accessorium*. 42. *de Reg. jur.* in 6, præsertim cum coacta voluntas sit voluntas, can. *Merito*, caus. 15, q. 1, et sufficiat ad alios contractus per dicta lib. I, tit. XL, n. 30, ergo etiam ad votum. Accedit concilium Toletanum VIII, metu ordinatos a matrimonio arcens, nisi in voto dispensationem obtineant. Resp. concessio Ant. distinguendo *Conseq.* Accessorium semper sequitur naturam principalis in iis, quæ essentialiter, seu secundum necessariam consequentiam, ac indivisibiliter sunt annexa, conceditur, in iis, quæ separari possunt, negatur. Hinc licet ordo infantis collatus valeat, non valet tamen votum ei annexum.

12. *Ad oan. Merito*, conceditur quidem, quod voluntas coacta sit voluntas, sed negatur, quod sit sufficiens ad votum; licet enim sufficiat ad actus et contractus illos, qui ope et sententia judicis rescindi possunt, ac debent, tamen insufficiens est ad illos actus, qui semel validi, de jure amplius rescindi nequeunt, per dicta.

13. *Infantes vel vi, aut metu ordinati, si posse tacite vel expresse votum ratificant, tenentur ad castitatem, si sciunt votum prius fuisse nullum. Ratificatio actus nullius non fit, si ignoratur, actum fuisse nullum.* — Ad concilium Toletanum dico, illud loqui de tali, qui gravi metu ordinatus, ordinationem et votum posse expresse, vel tacite, exercendo v. g. libere actum ordinis proprium, ratificavit; hoc etiam si facit metu gravi ordinatus, utique ad continentiam tenetur, et ad matrimonium inhabilis est, prout cum Sanchez, loc. cit., n. 9, doctores communiter admittunt; nisi id ex errore faciat, putans se prius jam esse adstrictum ad continentiam; tunc namque non censemur ratificare continentiam annexam, eo quod nunquam fiat ratificatio actus irriti et nullius, dum ignoratur eum esse nullum, prout cum aliis bene docet Sanchez, lib. I, disp. 16, n. 7, cum nil volitum, quin præcognitum, et error tollat consensum, arg. l. *Si per errorem. ff. de Jurisdict. omn. judic.* ex quo sequitur, eum, qui ante usum rationis, vel post hunc vi, aut metu gravi fuit ordinatus, posse adhuc nubere, etiamsi per plures annos jam fuerit sacerdos, si ignoravit, votum continentiae ordinis annexum fuisse nullum.

14. *Ordines sacri matrimonium prius contractum non dirimunt.* — Resp. II. Licet ordo sacer sit impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi juxta dicta n. 2, tamen non dirimit matrimonium prius jam contractum. Ita hodie unanimis et certa, ob claram dispositionem Joannis XXII, in extravag. antiquæ de voto, ubi antiquorum doctorum controversiæ finem imponens, ita statuit: « Quod, licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sacros reperiamus canones hoc statutum, invalidum est censendum. »

15. *Contrahendum dirimunt solo jure ecclesiastico.* — Resp. III. Ordo sacer non ex natura, nec jure divino, sed solo jure ecclesiastico dirimit matrimonium contrahendum, quatenus nempe Ecclesia sacro aliquo ordine initiatos, inhabiles reddidit ad contrahendum matrimonium, idque ob annexum solemne votum castitatis, S. Thomas, 2, 2, q. 88, a. 11; Sanchez, lib. VII, disp. 28, n. 11; Pirhing, h. t. n. 6; Covarruvias, *de Matrim.* p. II, cap. vi, § 3, n. 2; Bosco, *de*

Impedim. matrim. sect. 4, conclus. 3, cum communi aliorum. Prima pars, quod ordo ex natura non dirimat, patet; quia stare potest cum matrimonio, prout patet in Ecclesia Græca, imo etiam Latina, casu, quo infans valide ordinatus postea matrimonium contrahit, vel adulterante uxore maritus ordines valide suscipit, prout potest juxta dicta lib. III, tit. XXX, n. 34.

16. *Papa dispensare potest, ut existentes in majoribus etiam sacerdotes et episcopi nubant.* — Altera pars, quod jure divino non dirimat. Ratio est; tum quia allegari non potest; tum quia in jure divino Papa dispensare nequit per dicta lib. I, tit. III, n. 455. Cum initiatis autem sacro aliquo etiam sacerdotali, imo episcopali ordine, Papa potest dispensare, et saepe jam dispensavit, v. g. cum Caesare Borgia, qui prius erat cardinalis diaconus, cum Ramiro Arragonum rege prius episcopo, cum Nicolao Justiniano, prins religioso sacerdote, et pluribus aliis, inter quos recentissimum exemplum est in illustrissimo doctore Francisco Leopoldo comite Slabata canonico Passaviensi subdiacono, cum quo Alexander VIII, 14 januarii 1690, ad conservationem familiæ dispensavit ad contrahendum matrimonium. (ADNOTATIO LXXVII.)

17. *Voti solemnitas a sola Ecclesia provenit.* — Manet ergo tertia pars, quod solo jure ecclesiastico dirimat; quod ipsum aperte indicat concilium Tridentinum, sess. 24, de *Sacramento matrim.* can. 9 (textum habet supra n. 2), ubi impedimentum hoc dirimens expresse adscribitur legi ecclesiasticae, et voto non quidem simplici, utpote quod non dirimit, arg. c. *Consuluit*, 4, et c. *Rursus*, h. t. sed solemnizato, voti autem solemnitas ejusque vis dirimendi a jure duntaxat ecclesiastico provenit c. *Unico*. § *Nos attendentis de Voto*, in 6, ibi: « Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, ergo. »

18. *Clerici beneficiati, sive in majoribus, sive in minoribus constituti, si nubunt, ipso facto privantur beneficio.* — Quæritur II. Quas poenas incurat, si clericus matrimonium contrahat? Item, quandonam conjugatus laicus, vel post sponsalia licite suscipere valeat ordines? Resp. I. Clericus tam in majoribus, quam in minoribus ordinibus constitutus, beneficium habens, perdit illud, si matrimonium contrahit. Patet ex dictis lib. III, tit. III, de *Clericis conjugatis*.

19. *In majoribus constituti insuper incurunt excommunicationem et irregularitatem.*

— Resp. II. Si clericus in majoribus constitutus contrahere attentat, præter nullitatem matrimonii, excommunicationem et irregularitatem ipso facto incurrit, c. 2, h. t. et Clem. un. de *Consanguin. et affin.* ibi: « Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonium contrahentes, etc. excommunicationis sententiæ ipso facto subjacere decernimus; » a qua tamen post pœnitentiam absolvere eum potest episcopus, cit. Clem. un. de *Consanguin. et affin.* et c. 1 et 4, h. t. ibi: « Post longam pœnitentiam et vitam laudabilem continentes (dimissa jam uxore juxta c. 1, h. t.) officio suo restituunt, et ex indulgentia sui episcopi, ejus executionem habere. » (ADNOTATIO LXXIX.)

20. *Conjugati, vel responsati quando nubere possint. Remissive.* — Resp. III. Quandonam autem licite et valide ordines suscipere valent, vide lib. III, tit. XXXII, de *Convers. conjugat.* n. 26 et 33. Quid juris autem, si post sponsalia ordines suscipere velint, vide supra tit. I, de *Sponsal.* a n. 228.

21. *Omne et solum votum solenne dirimit matrimonium.* — Quæritur III. An? et quale votum? ac quomodo dirimat, vel impedit matrimonium? Resp. I. Omne et solum votum solenne per susceptionem ordinis, vel professionem religiosam emissum, dirimit matrimonium contrahendum. Omnes. Et quidem de voto sollempni per susceptionem ordinis tacite emiso jam patet ex præced. quæstion. De professione autem religiosa aperte constat ex c. *Meminimus*, 3, et fin. h. t. ubi summarium sic habet: « Votum solenne impedit, et dirimit matrimonium postea contractum, » juncto concilio Tridentino, sess. 24, de *Sacramento ordinis*; cuius textum vide supra n. 2.

22. *Sunt tantum duo vota solemnia, illup nempe quod ordini est annexum et professio religiosa.* — Porro vota solemnia plura et alia non sunt, quam duo, ordinis videlicet sacri, et professionis religiosæ, textu expresso c. un. de *Voto*, in 6, ibi: « Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel facit factam alieni de religionibus per sedem apostolicam approbat. »

23. *Professio religiosa non tantum contrahendum, sed etiam jam contractum nuptium consummatum matrimonium dirimit.* — Resp. II. Votum solenne professionis religiosæ non solummodo matrimonium contrahendum, sed etiam jam contractum ratum, non tamen carnali copula consummatum dirimit. Omnes, textu expresso c. 2, et c. *Ex parte*.

14. h. t. Estque definitum a concilio Tridentino, sess. 24, de *Matrimonio*, can. 6, ibi: « Si quis duxerit, matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. » In quo differt a voto sollemni ordinis sacri; utpote quod nullatenus matrimonium jam contractum, sed tantum contrahendum dirimit, juxta dicta n. 14, arg. *Extravag. Antiquæ, Joannis XXII, de Voto*.

Quantum autem tempus, et quo modo concedatur cuivis conjugi ad resistendum aut contradicendum consummationi matrimonii, vide lib. III, tit. XXXII, de *Convers. conjug.* ubi plura ad propositum.

24. *Votum simplex castitatis, intrandi religionem, aut suscipiendi ordines non dirimit, sed tantum impedit matrimonium.* — Resp. III. Vota simplicia castitatis etiam perpetuae, intrandi religionem, suscipiendi sacros ordines nullatenus dirimunt matrimonium, quamvis illud impedian, si ante sponsalia emituntur. Rursus communis ac certa textu expresso cit. c. un. de *Voto*, in 6, ubi postquam Papa de votis solemnibus egit, ita subjungit: « Reliqua vero vota, etsi quandoque matrimonium impedian contrahendum, non tamen rescindere possunt jam contractum. » Concordat c. *Consuluit*, 4, h. t. ibi: « Simplex votum matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit jam contractum, » quod idem habetur c. *Rursus*, 6, eod.

Cur autem votum solum solenne, et non simplex castitatis dirimat matrimonium; cum tamen simplex votum apud Deum non minus obliget quam solenne, cit c. *Rursus*, 6, h. t. dictum est lib. III, tit. III, n. 5.

25. *Stante voto castitatis nubens non potest petre debitum, bene tamen reddere.* — Illud tamen notandum, quod licet vota simplicia non dirimant, sed tantum impedian matrimonium, nihilominus votum simplex castitatis etiam post contractum matrimonium adduc valeat, et ex parte obliget voventem, ita, ut, licet reddere possit debitum conju-

tale conjugi id petenti, petere tamen, aut non peccatis sua sponte præstare illud nequeant, nisi cum eo dispenseatur, ut habeat communis theologorum et canonistarum arg. c. *Quando de Jurejur.* c. *Quidam.* et c. *Placet.* de *Convers. conjug.* de quo amplius vide potest apud Sanchez, lib. IX, disp. 33 et 34.

Quis autem dispensare possit, ut talis etiam petere possit debitum conjugale, dicitur infra in appendice.

26. *De votis simplicibus emissis post sponsalia. Remissive.* — Cæterum nota dicuntur in conclusione n. præced. posita, si ante sponsalia emituntur: quia an, et quando impedian, et quem effectum habeant, si post sponsalia jam contracta emituntur; item otrum emitte valeant, vide tit. I, a n. 233. (ADNOTATIO LXXX.)

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium.

1. *Ratio continuationis.* — Post impedimenta ordinis, et voti, pergit compilator canonum ad alia impedimenta; et quidem in præsenti titulo ad impedimentum criminis per adulterium vel homicidium conjugum commissum. Quamvis enim rubrica hujus tituli de solo crimen adulterii sonare videatur, tamen etiam de homicidio, seu machinatione in mortem conjugis intelligi debet; quia de eodem etiam in h. t. agitur. Est namque duplex crimen inducens impedimentum dirimens matrimonii: « Adulterium videlicet, et homicidium, seu machinatione in mortem conjugis, » non quidem qualemque, sed certis qualitatibus et conditionibus affectum; ut patebit ex frequentibus.

2. *Solum adulterium cum altera non causat impedimentum criminis.* — Quæritur I. Quodnam, et inter quos adulterium constitutus dirimens impedimentum criminis? Item quae conditiones requirantur ad illud? Resp. I. Solum adulterium non est dirimens impedimentum inter adulterum et adulteram, sed tunc solum, quando cum eo concurrit contractus saltem attentatus matrimonii, vel ejusdem contrahendi promissio; vel machi-